

## A D D E N D A.

Doederleinius in Commentatione de Aeschyli Eumenidibus, quae prodit Erlangae 1820, Hermanno starenti, Aeschylum ab obtrectatoribus post victoriam accusatione duplici vexatum esse, quasi in fabulis suis et novos deos introduxerit et evulgaverit mysteria, ad stipulatur, atque qui qualesve fuerint obtrectatores illi, accuratius demonstrare sibi proposuit. Sed hanc demonstrationem ei successisse, non mihi persuadere possum. Contendit enim, Aeschylum fabulam de Orestis iudicio invenisse ut iis, qui Optimatum potestati invidentes, Areopagi vim ac potentiam minuere aut omnibus aditum ad hanc dignitatem aperire vellent, obniteretur. Aeschylum metuentem, ne posterius fieret, versus 630. 1. inseruisse:

*κακαῖς ἐπιόροαῖσι, βορβόρω δ' ὕδωρ  
λαμπρὸν μαιίνων, οὐποδ' εὐρήσεις ποτόν.*

Non opus est exemplis firmare, quod satis notum est, Tragicos Athenas ornare studuisse, et Athenienses fabulas Graecorum ita refingere, ut decoris quid ad urbem ipsorum inde redundaret, solitos fuisse. Haec certa sunt et ad Orestis iudicium explicandum sufficient, ut non sit, quod conjecturis incertis indulgeamus. Minime quidem negaverim, Aeschylum occasione oblata Areopagum quantum fieri potuit, celebrasse, ut popularibus reverentiam huius iudicii inculcasset, sed hinc ortum fabulae deducere, ingenio summi poetae parum convenit. Longius procedit Doederleinius, putans, quia tum temporis propter solas opiniones nullus civis, nisi aut malefacta sequerentur, aut nimia ejus potentia securitati publicae periculosa videretur, publice palamve pelleretur, calumnia religionis ursisse ad-